

**A** expectatione mentionē facit. Ego, inquit, *expecto Dominum, expectat anima mea, & verbum eius expecto*, &c. Q. d. Hæc est spes & fiducia mea erga Dominum, quod sit nos liberaturus. Id expecto, idq. ex corde, & verbo eius suffultus. Hac spe animatus intentum habeo animum ad Dominum, multo maiori desiderio opem illius expectans, quam diluculum expectant illi, qui nocturnas excubias excipiuntur. Ut hunc sensum exprimerem, visum est prius *שמרי* nominaliter, & posterius participialiter reddere. Et vox ea tam *custodes*, quam *obseruantes* significat.

*Expectet Israel Dominum.* Duobus istis postremis versibus Israël alloquitur, & ad hanc expectationem suo exemplo hortatur. Addit rationem omnium fortissimam. Primum à benignitate Dei. Quoniam apud Dominum, inquit, *benignitas*. Deinde à virtute redimendi. *Et multa*, inquit, *apud eum redemptio*: id est, redimendi virtus & facultas. Tertiò adijcit affirmationem. *Et ipse*, inquit, *redimet Israël*: idq. non imperfecta redemptione, sed plena & absoluta, *ex omnibus* videlicet *iniquitatibus eius*. Sic fidem, spem & expectationem suam Psaltes de redemptione Israël, consolationis & confirmationis gratia præsentis Psalmo & orando, & hortando, & promittendo proposuit.

*Ex profundis inuoco te Domine.* Siue intelligas de cordis, siue de tribulationum qualicunq. profunditate, obserua hoc loco, quamuis excelsissimus sit thronus Dei, qui in cœlis est, nihil tamen esse tam profundum in terris, vnde piorū suspiria & preces impediuntur, ne Deum inuocent, & ab illo voces suas audiri petant. Nec David in speluncis, nec Daniel in lacu leonum, nec Ionas in profundo maris, imò in ipso ventre ceti constitutus, nec Paulus in carceribus, impediti fuere, quin clamarent ad Dominum: nec sublimitate sedis suæ Dominus prohibebatur, quò minus aures suas ad clamorem illorum intenderet, & suspiria quoq. illorum audiret. Usque adeò scilicet unus spiritus sunt cum Deo, qui illi adhærent, ut nec sublimitate diuinitatis, nec profundissima etiam miseria & calamitate humanitatis à se inuicem auelli queant: ut & hîc verum sit, quod Apostolus dicit: Neq. altitudo, neque profundum poterit nos separare à charitate Dei, &c.

*Domine audi vocem meam.* Obserua, quod vocem *deprecationis suæ* audiri petit, antequam de petitione subiungat. Admonemur, esse id singulari gratiæ Dei deputandum, quod voces nostras clementer audit. Sic putat se pauperulus plurimum obtinuisse, si princeps ad vocem petitionis suæ aurē clementer accomodat. Interpretatur enim, illud esse beneuolentiæ principis argumentum, vnde futurum sit, ut petitioni suæ annuat.

*Si iniquitates obseruaueris.* Consideremus hoc loco, quid de toto in vniuersum humano genere sentiat Propheta: hoc videlicet, prorsus ex omnibus mortalibus ne vnum quidem esse, qui coram Domino subsistere possit, si iniquitates remittere nolit. Non dicit simpliciter, *Domine, nullus subsistet*: sed, *Domine, quis subsistet?* Q. d. Tu Domine hoc nosti, fieri non posse, ut vllus mortalium subsistat, si peccata remittere nolis. Ergo vniuersum genus mortalium, peccato est obnoxium: & tam sanctus & iustus nemo est, ut alienus sit à peccato & in iudicio Dei subsistere possit, si ille remota sit misericordia indicaturus. Et obserua, quod nō dicit, *Si peccata*: sed, *Si iniquitates obseruaueris Domine*. Amplius quiddam est, iniquè agere, quam simpliciter peccare. Non debemus ergo putare, esse sanctos leuibz quidem peccatis, sed non iniquitatibus obnoxios: & Deum peccata quidem remittere, iniquitates verò non item. Et illi iniquè aliquando agunt, & Deus iniquitates etiam remittit. Ergo in sola misericordia Dei, qua peccata & iniquitates remittuntur, subsistit coram Deo, quisquis subsistit. Ideoq. illi demum beati sunt, quibus peccata remittuntur: sicut & suprā Psalm. 32. & Rom. 4. videre licet. Consequitur igitur primum, inanem esse omnem iustitiæ nostræ gloriam & fiduciam: ut rectè dicat ille: Væ vniuersæ nostræ iustitiæ, si remota misericordia iudicetur. Deinde, vanum esse commentum tam satisfactionis, quam satisfationis nostræ. Etenim si iustitiæ Dei, peccata retinenti, remota misericordia & peccatorum remissione, vel agendo, vel patiēdo satisfieri posset, prorsus inane esset, quod Propheta vrget ac dicit: *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis subsistet?* Posset enim illi regeri: Is qui iustitiæ Dei satisfacit, vel satisfatur pro delictis suis, utique subsistet. Nec solū id quod Propheta vrget, vanum esset: sed inanita redderetur etiam omnis illa gratiæ & misericordiæ Dei gloria, propter quam omnia sub peccato conclusit, ut omnium misereatur. Rom. 11.

Præterea & illud consideremus. Ambit misericordiam Dei, qua peccata populi remittantur. Et ut fiduciam impetrandi illam, in corde suo confirmet, argumentatur ad hunc modum: Si iniquitates, Domine, non remittis, non solū nobis, sed simul vniuersis pereundum est mortalibus. Etenim nemo coram te subsistet. Ut quid igitur creasti omnes filios hominum, si pereundum est omnibus? Iudicat autem pius Vates, alienissimum esse à Deo, ut frustra crearet omnes homines: passurusq. sit, ut nemo seruetur, damnentur ac pereant omnes. Et hac fide confirmat in corde suo, necessariū esse, ut remittat Deus peccata filiorum hominum. Hoc confirmato, sperat etiam in specie, non solū in genere, remissurum Deum peccata populo suo: nec passurum, ut ille prorsus sine vlla misericordia pereat. Ad hunc modum & nobis argumentandum esse iudico, non solū in hac causa, quod remissionē peccatorum attinet, sed & in alijs: vtpote vbi rerum penuria premitur populus fidelium, colligendum est hoc pacto: Si nō pascis mortales Domine, Domine quis subsistet? Peribit totum genus mortalium. Non poteris autem ferre, ut omnes fame pereant. Pascis igitur. Itaque si pascis omne genus hominum, & solem ac pluuiam largiris malis etiam & ingratissimis: quomodo ferre poteris, ut fideles tui rerum penuria pereant?

*Quoniam apud te est propitiatio.* Obserua, quod non simpliciter dicit, *Quoniam verò iniquitates non obseruas*: sed, *Quoniam apud te est propitiatio*. Reperias magistratum, qui & ipse peccata ciuium nec obseruet, nec iudicet: verū id faciat leuitate quadā animi, nullo iustitiæ studio, nullo peccatorum odio

QQ 3

præditus:

OBSER.  
Vers. 1. & 2.OBSER.  
Vers. 3.OBSER.  
Vers. 4.